









1666, 46 58 28

DISPUTATIO PHYSICA  
UNDE FIAT, QUOD  
ANIMALIA QUÆDAM DISSE-  
CTA DIU MOVEANTUR, QUÆDAM  
VERO MINIME ?

*Quam*

Indultu Amplissimæ Facultatis

Philosophicæ

PRÆSIDE

*Præ Eximio ac Clarissimo*

DN. M. GEORGIO TRINCKHU-

SIO, Ohrdruf, Thur.

SS. Theologiæ Cult.

*publicæ Eruditorum disquisitioni submittit*

JOANNES JOACHIMUS Hager

Regiol. Thuring.

Philos. & Med. Stud.

In Acroaterio Philosophico

A. O. R. MDCLXVI.

D. 3. Octobr.

H. L. Q. C.

JENÆ,

Typis Johannis Jacobi Bauhofferi.

37





DEI GRATIA PHYSICAE  
UNIVERSITATIS QUOD  
ALMA MATER S. M. D. S. S.  
CIVITATIS QUODAM M. D. S. S.

habere in hunc usque scolaris

Philosophiae  
M. D. S. S.

DN. M. GEORGIO TRINCKHE



JOANNIS JOACHIMI

In Aeternum Philosophico

Joachim Trinckhe

er  
ri  
da  
po  
sci  
do  
ge  
tur  
dip  
urb  
& c  
con  
Dip  
lin  
can  
Cui  
scri  
pue  
acu  
cap  
pin  
quo  
sed







§. 1.



Irabiles ac cognitu difficillimas res esse naturales, neminem futurum puto temere quem lateat. Ut taceamus, quæ de mirabili meteororum ac Metallorum naturâ ap. Physicos hinc inde decantata sunt, quis non admiretur eo tempore quo hirci pruritu Venereo titillantur, simili modo quoque excoriatorum pelles agitari quasi ac foetorem

emittere, quod *ἰσχυρά* Theophrastus egregio libro de Odo-  
rib. notavit. Cujusmodi consensus atq; contagio in affis etiã quo-  
dammodo evenit. Sanè vinum domi in cellis asservatum eo tem-  
pore, quo uvæ in vineis efflorescunt, tentatur quoque & efferve-  
scit: quo modo & allia cœpeq; domi asservata acerrimi sunt o-  
doris simulq; germinant, quando illa, quæ terræ commissa sunt,  
germina protrudunt. *Θαυμασιώτατον δὲ τῶν τοιούτων*, ut loqui-  
tur Theophrastus, *facile omnem admirationem superat*, quod in a-  
dipe ursino evenit, ut eâ tempestate, quâ latentibus in specubus  
ursis pingvedo eorû fermentatur (unde & pinguiores fiunt, quod  
& de gliribus observatum est) etiam succus ursinus domi in vasis  
contentus simili modo efferveat, intumescensque vasa impleat.  
Dignum quoque admiratione est, quod narrat Thomas Bartho-  
linus cent. 1. hist. 41. pilos cum parte cutis abscissos & asservatos  
canescere incepisse, quo tempore ille, cui avulsi erant, incanuit.  
Cui non dissimile prorsus est, quod refert idem diligentissimus  
scriptor maritos quosdam iisdem doloribus, quibus conjuges  
puerperæ, fuisse adfectos, licet id rectè tanquam sæpe contingens  
ac usitatum in Anglia, refutet Jac. Primerosius l. de vulg. error.  
cap. 13. Similia quædam adfert ingeniosissimus And. Cæsal-  
pinus lib. 4. Quæst. Peripat. q. 5. qualia multa coacervavit  
quoque Rattray in Aditu novo ad Sympath. & Antipath.  
sed sine iudicio & fide, unde & tam ridiculas ac ineptas eorum  
reddit

edit. Eur-  
lani pag.  
195. 196.

cit. loc.

A 2





reddat causas. Inter tales arduas quæstiones Physicas eminet quoque, quam jam enucleandam suscepimus, quæstio, Unde scilicet veniat, quod animalia ignobiliora, ut sunt serpentes & insecta, dissectis corporibus vivant, nobiliora verò ut v. g. homo minimè.

§. 2. Ut autem felici pede progrediamur, præmittimus Hypotheses quasdam (sive *Αιτιώματα* POSTULATA dicere mavis, cum sint quidam qui illas negent) non tamen falsas aut tantum probabiles, sed veras, & quæ facile à posteriori, & per Inductionem probari queant. Dicimus autem omnia perfectiora animalia insigniter calere, idque sensus tactus probat, & à nemine nisi qui vitio sensationis aut *ἀδελφία* mentis laborat, negari potest. Quare non necesse, imò ineptum & impossibile est talia, quæ sensus probat, ulterius demonstrata velle: ut adeò majorem obscuritatem, ne quid gravius dicam, Philosophiæ offundat Ren. Cartesius, dum dari RES MATERIALES, quæ tamen conspici, tangi & omnibus sensibus percipi possunt, demonstrare nititur. Ut autem inter quadrupedia animalia aliud alio est calidius, ita hisce frigidiora sunt Volatilia, quibus iterum calore cedunt Aquatilia, infra horum omnium verò calorem sunt ea, quæ vocamus insecta. Esse autem aves frigidioris naturæ, quam Quadrupedes animantes docuit jamdudum Aristoteles l. 3. de part. an. c. 6. *Differentia pulmonis varia est. alius enim sanguineus magnusque, alius minor, fungosus, exiguus. Vovipara majorem & copiam refertum sanguinis habent, propter calorem suam naturam ampliolem: Ovipara contra exiguum & siccum &c.* Hinc l. 2. de gen. an. c. 2. docet perfectiora animalia animal intra se parere posse, cum reliqua, utpote frigidiora, ova progignant. Unde idem docet l. de respit. c. 15 & 16. & jam cit. loc. quod ob nimium horum calorem per respirationem refrigeratio institui debeat. quomodo idem l. c. part. c. 7. observavit homini maximum esse cerebrum, quoniam cordis ac pulmonum locum habeat calidissimum ac sanguine refertissimum. quò utpote naturam suam frigido refrigerari debeat, quod post Cæsalpinum egregiè explicavit *χρυσόσολος*. Hoffmannus l. de usu Cerebri.

§. 3. Aquatilia porro Volatilibus calore præcurrere, nemo



mo temerè negaverit. Quo refero Serpentes & alia quædam, quæ Reptilia vocamus, imò Amphibia quædam, ut sunt ranæ, bufones &c. Horum igitur pulmo cum refertus sanguine non sit (unde in aqua & terra pro lubitu institutâ respiratione degere possunt) patet alia animalia caliditate illa anteire. Præterea cum non solum Cor, sed etiam reliqua viscera multum calorem in animalibus perfectioribus adjuvent, quamvis ut principia secundaria, quemadmodum scitè hæc de re philosophantur celeberrimus Conring. l. de Cal. innat. c. 20. hæc verò pulmone sanguineo, ἐν αἵματι ut loquitur Aristoteles cc. ll. liene, cæteroque operosiori, quo reliqua animalia gaudent, viscerum apparatus sint destituta, iterum luculentè patet, quantum illa hisce præcedant. Unde benè concludit quoque Hieron. Mercurialis l. i. de Venen. c. ii. serpentes frigidos esse naturâ, quia parum sanguinis possideant. Ut proinde erraverit Empedocles, qui statuit calidissima & ignem plurimam habentia esse aquatilia, teste Aristotele l. de Respir. & Sanchuniathon sive potius ejus Interpres Philo Byblius apud πολυμαθέστων Eusebium l. i. περὶ παρ. qui Serpentem spiritualissimum & maximè igneum animal esse statuit. Similiter & Ægyptii cum Phœnicibus hæc in re ἰσοψήφοι serpentem extulerunt, seducti haud dubiè à facerrimo illo serpente, quem in animalibus his venerati sunt. Quod autem de hisce animalibus hæctenus adduximus, eò magis valet de multis Piscibus, utpote omni pulmone & aliis quibusdam visceribus destitutis, unde & non respirant: quamvis hoc peripateticum dogma multis peculiari libro impugnare conatus fuerit vir celeb. M. A. Severinus.

§. 4. Quamvis verò non omnium calor æquè sensu explorari possit, præcipuè Insectorum, quò & stirpes referimus; ex eo tamen, quod tenuem & exilem possideant calorem, ea nullum habere argumentari non licet. Cum enim nutriantur & incrementum capiant, imò & generent; incrementum autem ex assumptis humidis & ficcis cibus fiat, qui vi caloris concoqui & transmutari debent, quâ demonstratione utitur Aristoteles l. 2 part. an. c. 3. & l. 2. de an. t. 50. patet Insecta quoque & stirpes innato quodam calore esse præditas. Quod iterum inde probo,

A 3

quòd.



quòd insecta & stirpes nutriri & crescere nequeant, nisi eorum exilis calor externo æstatis calore foveatur & augetur. Possemus quidem eo etiam argumentò uti, quod Chemicis ex plantis, quamvis siccis, liquores calidos & inflammabiles elicere possint. Verùm hoc modo & Insecta calidissima animalia esse aliquis probare posset, quod & ipsa ore in corpus nostrum assumpta calorem nostrum accendere apta nata sint, quod palmarium argumentum est, quod pro calido eorum temperamento adfert eximius ac laboriosissimus scriptor Ulyses Aldrovandus initio operis de Insectis. At verò hoc non sufficit, sed præter illud temperamentum, quod à mixtione partibus inest, requiritur aliquod temperamentum adventitium in toto corpore ab igne nativo residente in corde, quod egregiè demonstravit Coringius l. de Cal. In. adversus Cæsarem Cremoninum. Ut adeò Aldrovandus distinguere debuisset inter calorem potentialem & actualem. Ad ea autem, quæ ad negandum plantarum calorem adferunt libro Apolegetico Th. Fienus, quo Antonio Ponce Santacruz Hispano respondit, & Martinus Kergerus l. de Fermentatione; quæq; pro adstruendo plantarum calido cœlestis, non elementaris naturæ, præter illos adferunt Fernel. l. 2. de abditis rerum causis c. 7. & 8. quem sequitur celeb. Dan. Sennertus *diversis scriptis* respondebimus in conflictu.

§. 5. Porrò dicimus aliam atque aliam in perfectioribus & imperfectioribus animalibus organorum dispositionem esse. Minoribus certè vasculis præditi sunt serpentes & insecta, quod & de plantis in propatulo est: homo vero & reliqua nobilia animalia laxioribus gaudent vasis. Hinc cum homini aut alii animali caput amputatur, celeriter sanguis receptaculis suis effunditur, serpenti vero, Muscæ, lumbrico aliisque humor ille qui sanguini respondet, angustiis vasorum suorum compressus diutius retinetur, quò fit ut longè tardiùs ille effluat, quod iterum de stirpibus est in confesso.

§. 6. Porrò dicimus serpentes & multa insectorum lento & viscoso constare humore. Quo fit iterum, ut in illis humor ille vel sanguis vel sanguini analogus non æquè citò effluat, ac sanguis in nobilioribus animalibus, qui est insigniter fluxilis ac  
in



in perpetuo motu. Hinc accidit, ut & horum partes resectæ motum sensumq; aliquem retineant, quotiescunque scil. aliquid calidi sanguinei remanet, quod sæpiusculè in occisione boum & ovium cum insigni jucunditate & admiratione experti sumus. Nec enim ex crassioris carnosæ substantiæ minutissimis arteriis & venulis tam citò sanguis effluere, calorque ille exspirare potest, quin aliquid sanguinis, aut saltim flos ejus in musculis remaneat. Hoc modo cum lentis humoribus plurimæ plantarum præditæ sint, abscissi earum rami per aliquot horas calidum illud suum conservare possunt, ut etiam in terram vel aquam inserti de novo germinent & efflorescant. Talem autem succum eas habere inde quoque probatur, quod Semperviva aliaque, quæ per hiemem extra terram vivunt, virent, imò germinant, nutriantur humore eorum viscido fermentato & aucto, qua ratione parva piscium & insectorum ova crescere & majora fieri observavit Philosophus l. 3. de gen. an. c. 4. quomodo etiam ursum adipem intumescere l. c. Teophrasto est notatum.

s. 7. Quamdiu igitur in dissectis animalibus calor ille naturalis superest, tamdiu ibi motus quidam conspicuus est & sensus. Corpus autem illud mobile debet ita esse comparatum, ut à calore illo, qui superest, moveri possit, qua propter non est mirum, auriculas cordis ultimò, desinente jam ipsius cordis motu, adhuc moveri, cum majori opus sit calore ad sinuum, adeoque totius cordis, quàm ad auricularum motum. ut proinde nihil obtineant, qui id propter potiorem caloris vim auriculis, quàm ipsi cordi attribuunt. Unde si corpus aliquod graviusculum non movetur, non statim concludendum est illud nihil amplius vitæ in se continere. Effuso autem omni ex hominis aut alius animalis corpore sanguine, statim subsequitur mors. Cum verò mors oboriatur ex interitu illius ignis nativi, ignis autem interitus duo modi dentur, alter per *σβίον*, quæ est extinctio flammæ propter suffocationem: alter per *μείρασις*, quæ est extinctio flammæ propter defectum alimenti; patet quod Mors animali hoc modo obveniat per *μείρασις*, cum effluit scil. illud calidum, nec superest, quo corpus in posterum foveatur. Contra in iis, qui laqueo aut constrictis tantum arteriis jugularibus

extin-



extinguuntur, locum habet mors per σβέαν. Et sic intereunt quoq; quorum sanguini commixtum aliquid est, quod vim extinguendi calorem habet, ἢ εἰσδύσαι μάλιστα αὐτοὺς πλείστον, ὡς ἐπιλύειν τῆς ἀρχῆς, que subeunt maximè & magnâ copîâ, ut principium attingant, illudque extinguant, prout egregiè docet Theoph. aureo libello de Igne. Μαργῶσι contra intereunt, si cachecticus & minus pignis nascitur sanguis, qui nativum ignem illum alere ineptus est. Σβέσι extinguuntur quoque animalia partim propter impeditam respirationem, (καταμαρμαίνεται γὰρ τὸ ἐν ἡμῖν κατὰ ψυχὴν ἢ λαμβάνον fatiseit enim calidum innatum si non refrigerat respiratione, ait Theophrast. egregio fragm. de Animi defectione.) quando debitâ interclusa refrigeratione calor in corde suffocatur, non aliter ac lucerna nimio affuso oleo perit: partim quia concidunt vasa pulmonum, ut liberè ignis ille commeari non possit, qualiter interit ignis, si eum comprimas, aut debito motu & aëris spatio intercludas. Hisce vero duobus modis solum mobilis ignis perit. Fallitur sanè Th. Erasmus responsione adversus Mercenarium c. 12. existimans eum quoque ignem, qui admistorum corporum substantiam pertinet, itidem εβέσι aut μαργῶσι interire.

s. 8. Cùm igitur sanguis ille fluxilis ex decollati v. g. laxioribus illis arteriis & venis citò & ferè simul & semel effluat, mors per μαργῶσιν facta non potest non subsequi. Si verò animal aliquod per collum apertis cultrò vasis jugulatur, animal illud diutius se movere potest: quod inde fit, quia vasa illa paulisper ob circumstantiam carnis concidunt, aut grumis factis stipantur, ut tam citò, quemadmodum in decollato, effundi non possit. Quare quamdiu aliquid calidi sanguinis reliquum est, tamdiu vita aliqua in illo conspicitur. Non quidem id volumus, ac si vita in solo calore consistat, cùm longe rectius nos doceat Aristot. 2. de an. c. 4. quippe ubi refutat antiquos, qui putabant animam esse ignem, cùm ignis συναίτιον πως μὲν ἐστίν, ἢ μὴν ἀπλῶς γὰρ αἴτιον, ἀλλὰ μᾶλλον ἢ ψυχὴ, aliquo modo concussa sit, non tamen simpliciter causa, sed potius anima hæc sit. Et omninò anima juxta Aristotelem non est elementum aliquod, aut aliud corpus, sed omninò nobilioris & diviniore substantiæ. Interim hoc verissimum



num est, animam illam sine calore, qui causa instrumentalis est actionum vitalium, non posse consistere; unde fit, ut illam cum calore *συμμετέω* positam, ponatur ipsa etiam vita: Sublato vero hoc, anima & vita quoque auferatur. Ut adeo hic veterum errorem errent, eumque quasi ex orco revocent, quicumque ex neotericis Naturam tantum ignem, aut igneam quandam entitatem esse statuunt, inter quos praeter Telesium & Campanellam est quoque Sixtus ab Amama.

§. 9. Igitur quamdiu calor ille, per quem influit & munia sua exequitur anima, superest, tamdiu etiam, ut saepe jam diximus, remanet motus aliquis, quo cum saepiuscule sensus est conjunctus. Et sane ex hoc refutari potest doctissimus Verulamius, qui *l. de V. & Morte* unice vitam a capite vel cerebro dependere statuit. Certè in dissecti serpentis v. g. partibus non solum illa pars, quae capiti proxima est, movetur & sentit; sed & media, sed & illa, quam animal illud terminatur, quam caudam vocamus. Et si caput amputaveris anguillae, crabroni, muscae aliisque multis brutis, illa nihilominus vivere adhuc conspicies, quod sane non fieret, si cerebrum omnem vitam toti corpori elargiretur. Quamvis igitur nos a corde principaliter vitam dependere affirmemus, non negamus tamen, quamdiu calor aliquis a corde communicatus relictus in membris est, tamdiu etiam animal vivere, quamvis evulso corde, posse. Quemadmodum enim hypocaustum etiam extincto igne in fornace, aut fornace ipsa cum igne subito ablata adhuc calet, & calore suo fovere homines potest: ita etiam erepto corde calor residuus, quem cor reliquis partibus communicavit, corpus illud animare potest. Et hoc saepiuscule experti sumus in ranis, quae corde extracto per integrum ferè diem vixerunt. Ubi tamen videndum est, ut ranis, si longius vivere debeant, cor citò eripias, quò venae iterum aliquo modo collabi possint, ut eò tardius sanguis in cavitationem abdominis effundatur. Citius autem moriuntur, si diutius in earum corde eximendo moreris, aut alia quoque viscera, quae sanguinem continent, simul evellas. Ut omnino Verulamius, si thesin suam defendere velit, hoc modo se expedire debeat, (quo ipso tamen cerebro tribuit, quod cordi acceptum ferendum erat)

B

quem



quem tamen potius πρὸς ὀλίγα ἐπιβλέψασα pronūtiasse putā-  
rim, quod reprehendit in veteribus Aristoteles l. de gen. & cor.  
c. 2. med. quodque doctrinæ Analyricæ de Experientia, Indu-  
ctione & Πρώτῳ Δεκτικῷ internecinum est. Cohibetur autem ca-  
lidum minorum illorum animalium, quæ hoc modo post sectio-  
nem partium, aut evulsionem cordis vivunt, partim ob lentam  
& viscosam sui materiam; partim verò coarctatur angustis illis  
vasis, quo minus celeriter exire atque exspirare possit, ut di-  
ximus.

§. 10. Non dubito verò, in perfectioribus quoque ani-  
malibus, si evulso corde vasa illa occludantur aut alio modo  
collabantur, motum & sensum remanere posse. Placet huc ad-  
ferre, quæ habet Rabbi Moses Maimonides Cordubensis Judæus,  
qui, ut Scaliger judicavit, primus inter suos nugari desit. Hic in  
fine Aphorismorum suorum, quos ex Galeni operibus ingenio  
longè felicissimo collegit, egregia quædam huc cum primis fa-  
cientia habet. Postquam enim reprehendisset Galenum, quod  
non veritus fuerit summos omnium hominum (ita vocat) do-  
ctores Moysen & Christum vellicare & perstringere, cum in  
eo quoque reprehendit & φιλαυτίας coarguit, quod Aristotelem  
præter meritum multis in locis refutare & exagitare fuerit cona-  
tus. Meminit deinde in fine Aphorismorum controversiæ illius  
de principatu partium, quæ Galenus ab Aristotele disfidet, &  
ad illud, quod Gal. l. 2. de plac. Hipp. & Plat. contra Aristotelis  
sententiam de principatu cordis NEMPE SACRAS VICTIMAS CORDE  
EXENTERATO AUFUGISSE ET VOCEM EDIDISSE adfert, respondet hoc  
modo: *Animalia victimarum etiam sublato corde, currere & bo-  
re, nec cadere nisi effuso toto sanguine, si simpliciter intelligendum  
est, ergò & venis constrictis, & suppresso sanguine poterunt etiam vi-  
vere sine corde. At non est ita, imò ex corde affecto moriuntur.  
Quod verò eo remoto, etiam moveantur & sentiant, inde est, quia  
perpetuo motu virtus à corde ad caput & ceteras partes transmitti-  
tur, itaque aliquandiu vigeat, dum alia subjicitur. quod si non subsi-  
ciatur, cum deficiente illa etiam pars moritur & cadit animal: quem-  
admodum in fontium rivulis videtur. Quamdiu scaturigo fluit  
etiam rivulus nova aquâ alluitur, & vivit: at ea obturata aliquan-  
diu.*



diu post remanet in rivulo quidem aqua, sed paulatim non affluente  
alias exsiccatur & perit.

§. 11. Quare ex haecenus allatis patet, vitam remanere  
in animali, quotiescunq; ibi remansit aliquid caloris, sive id fiat  
evulso corde, sive illaeso. Sanè saepe accidit, ut laniis boves aut  
aliae bestiae, si vasa, quibus sanguis circumfertur, cultro penitus,  
quò omnis sanguis effluat, non conciderint, diu vivant, imò  
quandoque aufragiant. Sic si avi alicui v. g. columbae caput avel-  
latur, & cutis truncum colli circumobsistat, quò sanguis liberè  
exire non possit, diu alacriterq; sese movet, alisque magnos stre-  
pitus ciet. Quòd verò in hisce valet, valere quoq; puto in ho-  
mine (*physicum enim est similiter se habere in omnibus*, 8. phys. t. 63.  
quod & experiètià probari posset, nisi id nefas esset. Non du-  
bito verò saepe tale quid in capitali ejusmodi hominum suppli-  
cio accidere, quod & suadere videntur quaedam, quae circumfe-  
runtur, historiae. Jucundè talem historiam quoque commemorat  
Th. Barthol. cent. 2: hist. 98. ubi narrat, Hafniae caput puellae  
manu carnificis amputatum ter quaterque se movisse, atque, ut  
ipse loquitur, subsultasse. Confer cent. 6. hist. 4. Quòd verò  
tandem ille calor evanescat, & sic corpus moveri desinat, nihil  
habet difficultatis. Apponemus autem hìc Aristotelis verba,  
quae habet l. 1. de an. circa finem. *Cernuntur, inquit ille, & plantae  
divise vivere, & animalium nonnulla insectorum; ut quae eandem  
animam specie habeant, et si non numero, utraque ergo pars sensum  
habet, & movetur secundum locum ad aliquod tempus. Si autem  
non perseverant, nihil absurdum. Instrumenta enim non habent, ut  
servent naturam. Scilicet non habent instrumentarias partes, in-  
testina, os vel ejusmodi, per quae id, quod in corpore diffluit, insta-  
retur, ut addit in comment. Philoponus Alexandrinus.*

§. 12. Ex haecenus demonstratis igitur satis superque elu-  
cere puto, quae sit nostrae quaestionis ratio. Arnoldus verò Sen-  
gverdius, Physicus Ultrajectinus Introd. ad phys. l. 6 c. 5. p. 518.  
aliter hanc rem videtur explicare. *In imperfectis, inquit, animali-  
bus, quae dissecta vivunt & sentiunt, sensus internus non requirit sibi  
unum aliquem determinatum locum, sed per diversas partes disper-  
sus est. Verum enim verò errat 1. quòd sensum internum vocat  
illud,*



illud, quod partim non est sensus, partim verò sensus externus. Non dubito enim ipsum per τὸ sentire intelligere sensum tactus, quum scilicet animalia illa tacta se incurvant, & hoc ipso sensum tactus sui produnt. At verò sensus tactus est externus, non internus. *Non enim dicuntur Externi, quòd foràs exprompti sint & promineant, sed quòd externarum rerum propriis organis cognitionem capiant, ut rectè ipse notat ex Fernel. l. 5. Pbyfiol. c. 7.* Quod verò 2. motum quoque huc refert (per τὸ vivere enim hunc intelligit, quomodo & communi loquendi consuetudinè vivere illud dicitur, quod tantum movetur, ut rectè notat quoque Aristoteles 2. de an. c. 2.) pro sensu habet, quod tamen sensus non est. *Movere enim non esse nutritionem, neque sensum, neque intellectivum, egregiè demonstrat Aristoteles l. 3. de an. c. 10.* Sed ut propius accedamus, putat ille *Motum & sensum in hisce imperfectis animalibus non requirere sibi unum aliquem determinatum locum, sed per diversas partes dispersum esse.* quo modo in plantis non unicum, sed multa caloris principia sunt, quod evidenter docet Asplantatio.

§. 13. Verum fidem haberemus doctissimo viro, si id sensus aliquo modo tantum probaret. In plantis rem se ita habere & sensus & ratio suadent. In his enim unum alterius principium est nativæ caliditatis, quod in primis valet de parte mediâ, quæ est inter germen & radicem, μέσφ. βλαστῶν ἢ ρίζης, ut ait Aristoteles l. de respir. c. 17. aut ubicunque tantum nodus est. *ἰσὺ γὰρ ἀρχὴ τῆς ὄζης τῷ κλάδῳ, est enim nodus principium quoddam surculi l. de juv. & sen. c. 3. quod jucundè conspiceret circa ἐμφυτεύσεως ἢ ἀποφυτεύσεως hortulanorum.* Respondet autem nodus in planta cordi in animalibus. Et quoniam stirps plura talia cunctula habet, ideoque non tam unum corpus est, ut animalia sunt, quam ex multis stirpibus quasi compositum. Ex quibus tamen nulla πολυαρχία, quæ in naturalibus ἀναρχία est, inferri debet, sed primum principium est nodus inter truncum & radicem, reliqui vero nodi inter truncum & ramos vel surculos principia sunt secundaria, unde & sublato illo tolluntur, hisce verò avulsis nihilominus germinant & fructificant, nisi tunc aliis de causis mors illis obveniat. Et hoc modo de plantis quoque philosopha-

buli



phatur Alex. Aphrodis. l. r. de an. q. 10. *Cur à stirpibus abscissa  
portiones vivant adolescentque, ab animalibus verò minimè.*

§, 14. Non equidem dogma illud de quibusdam anima-  
libus absurdum est, quippe cum & Aristoteli probabile visum fu-  
erit l. de respir. c. 17. illudque ingeniose explicare nitatur ad  
mentem Aristotelis And. Cæsalpinus l. 5. quæst. peripat. 5. res ta-  
men intricata & obscurissima est, principiaque illa, quibus id  
explicat, paucissimis Anatomicis hæcenus probare sese potue-  
runt. Ut proinde Sengverdius ignotum per æque ignotum de-  
claraverit, quod tamen ἀλογον maximè est. Ut enim definitio de-  
bet fieri per γνωμώτερα: ita quoq; propositiones in demonstra-  
tione debent esse γνωμώτεροι, ut in post. analyt. tradit Philoso-  
phus. Nec in his solum, sed & in piscibus, serpentibus &c. mo-  
ventur partes dissectæ, quæ tamen unicum caliditatis suæ princi-  
pium habent. Præterea stirpes aliquæ nativum suum calorem  
ad tempus servare & virere possunt, etiamsi nullum corculum,  
ut vocatur nodus ille, amplius restet. Quare omninò in hujus  
ζητήματι enodatione caloris illius mentio fieri, & per illum res  
explicari debet. Et sanè alia causa esse videtur, cur stirpes mul-  
ta habeant principia. Nempè necesse est, si crescere & dilatari  
eas oportet, multum possideant caloris. Qui verò cum valdè  
in se exilis sit, hoc ipso ei succurritur, quod in nodo tali se re-  
colligat, & novas vires acquirendo augetur. Sed cum insecta  
tàm extenso calore opus non habeant (parva enim sunt) ideoque  
talia caloris receptacula requirere non videntur. Et hæc causa  
est cur per calorem solis, quam generationem æquivocam vo-  
camus, generentur hæc parva tantummodò animalcula, quip-  
pe quod de perfectioribus animalibus, qualis est homo, elephas  
equus &c. fieri nunquam conspicimus. Cum enim in genera-  
tione horum multus & fortis calor requiratur, quod indicat diu-  
turnus illorum in corpore materno fetus quædam enim non nisi  
biennio perficiuntur in utero parentis, ut elephas; quædam an-  
num ex postulant, ut Equus & bos; quædam menses decem aut  
novem ut homo 4. de gen. an. c. 10. ea verò quæ generatione æ-  
quivocâ nascuntur, tantum & tam continuū calorem (dependet

R 3

enim.



etiam generatio & corruptio à duobus coelestibus agentibus, Deo & coelo sive astris 2. gen. & corr. c. 20. quorum illud omnium formas & perfectiones continet: hoc verò illius instrumentum est, & à quo tanquam Instrumento immediatè producuntur v. g. insecta, mediatè verò, quæ perfectiorem naturam adeptæ sunt) in sui productione non adipiscantur, patet quod non nisi talia imperfecta naturaliter produci possint. Ut enim sol periodo sua annos dies & noctes efficit; ita quoque diversis his temporibus diversus est ejus calor, qui tamen in generatione perfectorum animalium interrumpi haud debebat. Quin ne per unum diem quidem, ut vocamus, civilem calor ille eodem modo intensus manet noctu ob naturale frigus eo remittente. Et hæc causa (inter alias) est cur animalia perfecta, ut imperfecta calore solis generari non possint, quam rationem dat quoque Cæsalpinus l. 5. q. 1. Sub Zonâ verò torridâ, ubi coelum temperatissimum esse contendit l. 3. quæst. 3. calore solis per generationem æquivocam etiam perfecta animalia nasci, quod ipse ctedit, nos non credimus. Quod autem calor ille solis in generatione æquivocâ præstare nequit quoad quantitatem & perfectitudinem, præstat & compensat quoad multitudinem. Tantùm!

#### COROLLARIA.

I.

Veteres Germanos, majores nostros magnâ & procerâ staturâ, candidâ cute, & albâ vel flavâ cæsarie præditos fuisse Cæsar, Tacitus, Vegetius aliaque aliorum monumenta luculentè testantur. Idem verò eos lacticiis usos fuisse, venere immatura & nimîâ abstinuisse, vinum neglexisse, vinum adustum (quod equidem recens Villanovani aut Lullii Chemicorum inventum est) nescivisse, peregrinorum connubia abhorruisse &c. testantur. Hinc facilè, quæ sint tantæ in posteris mutationis causæ, pervideri potest.

2. Fons ille non procul à Jenâ nostrâ situs, quem **Den Sür-  
stenbrunn** vocant, lapides, ligna, aliaque crustâ quâdam albâ per mirificam quandam occultam vim obducere vulgò dicitur. Verùm hoc non in ipso fonte, purissimâ quippe aquâ accidit; sed dum in alveo suo per terram albam, unde tophos eruendo



endo conficiunt, delapsus albam illam materiam cursu suo abra-  
dit, quã ea, quæ injiciuntur, paulatim obducuntur. Ut proin-  
de fati causæ non habeat P. Laurembergius Acer. Philol. cent.  
4. hist. 53. illum inter mirabiles fontes referendi.

3. Henry du Rochas de l' *Anatom. spagirique* in explicanda  
Thermarum causâ rejicit ignem subterraneum, illumque inter  
non-entia refert, aitque illarum veram causam esse incalescentes  
Mineralium Metallorumque venas. Verum non abs re quærere  
licet, unde illæ *Mineralium Metallorumque venæ?*

4. Causas Fermentationis vini in doliis eo tempore, quo  
florent vitæ, Kenelmus Digbæus in *Theatro Sympathetico* in  
spiritus vinosos è floribus in campos exhalantes rejicit, qui de-  
inde in dolia attracti præsentibus se jungant, junctisque viribus  
fortiores redditi fermentationem & tumultus cieant. *κόμπος  
μὲν, ἔδὲ ἀληθῆς.*

5. Rattray lib. cit. p. 164. quò causas Sympath. & antipathi-  
as rerum naturalium explicet, ait ea, quæ talibus qualitatibus  
gaudent, licet mortua sint, vivere nihilominus, imò sensu ac ima-  
ginatione pollere. *οὐδὲ γὰρ κενὸν τὸ σῶμα.*

6. Succino illo, quod in litore maris Balthici colligitur,  
comprehensæ conspiciuntur muscæ, ranæ, lacertæ alaque. Hinc  
probabile est, ubi nunc mare Balthicum est, aridum fuisse. Nec  
infrequentes tales mutationes.

7. Mariâ moveri, cieri tempestates, ventosque innaves, quæ  
Mumias vehunt, deferri Bodino l. 2. *Theat. nat.* non credimus.

8. Non dantur homines acephali, cyclopes, hippocentauri &c.  
ut credunt Münsterus in *Cosmogr. C.* Schottus *Phys. cur.* a-  
liique multi.

9. Peculiarem Pygmæorum gentem fuisse, aut adhuc esse C.  
Bartholino l. de Pygmæis, Jo. Cassanio l. de Gigantibus fidem  
habere non possumus.

10. Lac albere, quia glandulæ mammarum albæ sint, statu-  
unt P. Aponensis *comin. in partic. 10. problem. 6.* & Costæus l. 1.  
de *nat. Lactis.* sed falsum id est. Nec præter calorem peculiarem  
*δύναμιν γαλακτοποιητικὴν* hîc agnoscimus.

11. Fastidium casei per omnem vitam durans *ex sectione lactis*  
*caseati è mammis nutricum* evenire experientiâ edoctus statuit  
Cl.



Cl. Mart Schookiusl. de Averfatione casei, quem lib. de Butyro subjunxit. Nec quicquam conficit Schottus, qui id phys. curios. l. 3. c. 8. negat. Interim sæpè in ejusmodi abstemiis valet, quod vir summæ eruditionis Joannes Bruyerinus Campegius Gallus l. 1. de Re cibaria c. 24. scribit *Odiū ergà quosdam cibos nasci ex opinione, quam habemus, quod ea, quas odimus, mala sint, aut in universum, aut quantam ad nos attinet, eruditi quidam existimant.*

12. Gentilis de Fulgineo super Avicennam fen. 2. can. 1. c. 8. dub. 2. calefieri nos imaginatione ignis, frigescereque posse imaginatione nivis cum Avicenna ait, imò nos ita affectos alios quoque afficere posse statuit. *Ite leve nuge!*

13. Non est vero simile, quod statuunt Bodinus l. 2. Dæmonom. c. 7. Delrio l. 2. Disquis. Mag. c. 2. quæst. 15. Schottus Phys. curios. l. 1. c. 21. 22. posse malos Genios cum sagis misceri, vivumque hominem producere.

14. Utrūm Dæmon exsucto & emulso è defunctorum corporibus semine, ut docuerunt P. Paludanus & M. Arelatensis, eòq; per congressum sagis immisso generare,

15. An verò sub formâ amasiæ cum amasio homine congressus semen illius excipere, deinde verò mutato fœminæ habitu & vii i schemate assumto cum sagâ, aut alia fœminâ coeundo illi semen illud exceptum immittens hominem producere possit? Neutrum verum est.

16. Corpora mortua vivis graviora sunt. Perperam id negat Sanctius Sanctorius in Medicina Staticâ.

17. Sal fœcunditatem ) ( Sal sterilitatem adfert.

18. Quæ causa sit, quòd homines quidam cibos assumtos non aliter ferè ac bruta ruminari queant?

19. Qui fiat, quòd Urinatores tam diu sub aquis morari possint?

20. Qui fiat, ut quidam hominum cuius im movere & corrugare non aliter ac jumenta queant?

F I N I S.











Jena, Diss., 1666 S-2

ULB Halle 3  
004 371 291




f  
56.


Krit.











1666,46 58 28

PHYSICA  
AT, QUOD  
ÆDAM DISSE-  
NTUR, QUÆDAM  
MINIME ?

simæ Facultatis

phicæ  
IDE  
ac Clarissimo

TRINCKHU-

druf. Thur.  
ogixæ Cult.

disquisitioni submittit

CHIMUS Hager/

Thuring.

Med. Stud.

Philosophico

DC LXVI.

Octobr.

Q.C.

Æ,

cobi Bauhofferi.

37

